e-codices



nequitiae et superbiae suae perditis. Cadent subtus pedes meos. qui contra me male erecti stabant. id est pedibus
meis substrati. meo iam merebuntur auxilio vallari. Et praecinxisti me virtute ad bellum. Iste de passione sua dominus
loquitur. quando demonum instinctu iudei iniqua contra eum certamina commoverunt. Sed ad hoc bellum praecinctus est for
titudine id est forti patientia instructus. per quam iniquorum adversa potuit superare. Sive praecinxisti me virtute in
menbris meis fluxa desideriorum carnalium restringendo. Et subplantasti insurgentes in me subtus me. hoc est sup
plantari et decipi permisisti. Omnes enim qui contra Christum in tempore passionis insurrexerunt eius iudicio cum suo instigatore
diabolo dampnandi erunt. Et inimicos meos dedisti mihi dorsum. hoc est post me illos posuisti. ut me iam conversi seque
rentur. cum antea quasi in facie stantes resistebant. Sive dedisti mihi eos dorsum. ut timentes iram et indignationem eius
cui antea repugnabant. fugerent primo. deinde ad eum confugerent. Odientes me. hoc est in perfidiae suae obstina
tione perseverantes disperdidit. iudeos videlicet quos et praesenti seculo. loco et regno perdito perpetua captivitate dampnavit
C et post mortem flammis inferni ultricibus tradidit. Clamaverunt nec erat qui salvos faceret ad dominum. hoc specialiter
de iudeis dicitur. qui tempore quo romani obsidebant clamabant ad dominum. sed non erat qui salvos faceret. quia salutis non
habebant auctorem. Clamabant quoque in synagogis suis cotidie divinam legem meditando. vana sibi spe blandi
entes. sed non exaudiuntur. quia terrenam non celestem requirunt hereditatem. Et comminuam eos ut pulverem ante faciem venti. Pulchre
per hos pulveri comparat. quia aridi sunt non recipientes imbrem misericordiae dei. et nulla soliditate iuncti sed ab invicem dis
sidentes. quique a vento id est a diabolo exagitantur. et arida iuventute perierunt. Comparantur et luto platearum. quia per latas
seculi vias luxuriantes sordidum fetorem criminum exhalantes. molles ac lubrici hos ergo minatur se ut lutum delere
hoc est de medio tollere. ut eorum indicet facillimam dampnationem. Eripies me de contradictionibus populi. Alia trans
latio dicit a superbis. significat autem iudeos. falsa iusticia superbientes. Et Christo domino contra dicebant. nolentes ve
ritati adquiescere. dicebant enim tu de te testimonium perhibes. testimonium tuum non est verum. et non habemus regem nisi cesarem. Multa
quoque his similia. Constitues me in caput gentium. Liberatus enim Christus a contradictionibus iudeorum. factus est caput ecclesiae et
princeps ac dominus credentium ex omnibus gentibus. iuxta quod apostolus dicit. et ipsum dedit caput super omnem ecclesiam. Ip
se quoque per prophetam esaiam princeps super quinquaginta vocatur. hoc est super omnes de suis erroribus penitentiam agentes.
et notandum quod se a patria ereptum et in caput gentium constitutum dicit. illi tribuens omnia. cui secundum humanitatem
subditus erat. et ad eius gloriam cuncta referebat. Populus quem non cognovi servivit mihi. hoc est populus gentium. quem cor
porali praesentia non visitavi. et quibus meam cognitionem non exhibui. Quibus enim suam cognitionem non exhibet. illos dicitur non cog
noscere. Servivit mihi recipiendo fidem meam. et adimplendo precepta mea. Servivit autem servitute casta non sicut iu
dei pro timore. In auditu auris obedivit mihi. Mox ut praedicationem meam per apostolos aure percepit. confestim ei credendo
preceptis fidei obedivit. Filii alieni mentiti sunt mihi. Filii alieni inveterati sunt. Filii alieni iudei sunt. de quibus
ait. Vos ex patre diabolo estis. non per naturam. sed per imitationem. hi mentiti sunt deo. quando accipientes legem in mon
te synai dixerunt. Omnia quae precepit nobis dominus deus noster faciemus et obedientes erimus. et in evangelio dixerunt. Nos
scimus quia moysi locutus est deus. hunc autem nescimus unde sit. Ipsi quoque inveterati sunt. quia in vetustate infide
litatis permanserunt. Nolentes recipere innovantem [gap] gratiam. Claudicaverunt quoque a semitis suis. Claudicaverunt etiam
hoc est uno pede debiles extiterunt. quia vetus testamentum tenentes. evangelium respuerunt. In ipsa quoque lege sua
claudicaverunt. sequentes traditiones hominum. et transgredientes traditiones dei. Vivit dominus et benedictus deus meus.
F numeratis quae sibi patris beneficiis. exultando extollit in laudes eius. Vivit inquit dominus. quia ipse est vita viventium.
fons et origo vitae. Testatur ei qui dicit. Ego sum via. veritas et vita. Subiungit benedictus deus meus. utique secundum huma
nitatem. habet enim patrem dominum per id quod homo factus est. Et exaltetur deus salutis meae. Cuius gratia salvatus sum a furore
persequentium et diaboli principis illorum. Iuxta quod alibi deprecatur. Salvum me fac ex ore leonis. et a cornibus unicornium
D Deus qui das vindictas mihi. id est qui in mea potestate omne [gap] iudicium constituisti. Quique vindicas me. subdendo fidei meae
populos. Liberator meus de inimicis meis iracundis. hoc est iudeis. qui cum irascuntur. nullam iniuriam. nullo furori
suo modum imponere noverunt. Et ab in [gap] surgentibus in me exaltabis me. vel iudeis. Exaltabis me inquit. id est superiorem
et fortiorem demonstrabis. resuscitando me. et ad tuam dexteram collocando. A viro iniquo eripies me. Et specialiter

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 312, p. p.%2036 – Remigius of Auxerre, Expositio in psalmos (http://www.e-codices.ch/en/csg/0312/p.%2036)